

tem necessitatem, Achimelec dedit Davidi panes propositionis, quibus vesci secundum legem ei non licebat, quod tamen per interpretationem legis licuisse Christus, Matth. 12, aperte docet. Et eodem modo excusat discipulos quos Pharisei calumniabantur, eo quod in sabbato spicas vellent, fricarent et comederent, ut late exponit Abulens., libr. 4 Reg., quæstion. 8, 13 et 18. Quibus in locis hac ratione legem illam veteris Testamenti dispensabilem appellat; loquitur tamen improprie de dispensatione, prout de interpretatione, et epiikia interdum dici solet, ut in lib. 6 dictum est. Hac etiam interpretatione usi sunt Machabæi ad bellandum in die sabbati, 4 Machabæor. 2. Sic etiam Christus Dominus, Matth. 12, dicit se non violare legem sabbati, opus misericordiæ aut pietatis vel religionis in illo exercendo, etiamsi laboriosum sit; sicut licebat Judæo extrahere de fovea in die sabbati ovem in illam cadentem; unde ipse concludit licuisse sibi sanitatem conferre in sabbato. Atque eodem modo, Joannis cap. 5, ostendit licuisse homini, sanato ab ipso, portare grabatum suum in sabbato, ex præcepto ejus, quia ad opus pietatis et ostensionem miraculi id pertinebat. Ratio autem est, quia interpretatio legis, præsertim positivæ, etiamsi divina sit, est necessaria ad gubernationem humanam, propter varietatem occasionum et necessitatum sæpe occurrentium, in quibus contingit vel duo præcepta sibi obviantia occurrere, ac propterea necessarium esse exponere, alterum non obligare; vel etiam contingit talem esse rerum mutationem, ut prudenter præsumatur non fuisse voluntatem legislatoris in tali casu obligare, quæ necessitas etiam potuit in usu illius legis sæpe occurrere.

7. *Dubium.* — *Responsio.* — *Triplex modus interpretandi illam legem.* — Quod si interrogetur quomodo vel qua potestate licebat tunc talem facere interpretationem circa voluntatem Dei, non enim videtur cuilibet licere voluntatem superioris interpretari, sed simpliciter obedire: respondeo tribus modis hoc licuisse, qui tum ratione, tum ex eadem lege colliguntur. Unus est per potestatem a Deo ipso datam, quæ maxime pro casibus dubiis necessaria erat; sicque dicitur Deuter. 18: *Si quid difficile aut ambiguum*, etc. Secundo, ex concursu duarum legum, unam per aliam interpretando; sic Christus, Matth. 5, exponit licuisse Judæis circumcidere homines in sabbato, ut non solveretur lex præcipiens

circumcidi infantem octavo die, Levitic. 12; et eodem modo ait Matth. 12: *Non legistis, quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant, et sine crimine sunt.* Violant (ait) in exteriori specie, seu materiali opere, et tamen sine crimine sunt, quia illud opus erat consentaneum alteri legi, Levit. 24. Ac subinde non erat opus servile, sed religionis, ut bene exposuit Abulens., 4 Reg. 21, q. 17. Sic etiam circa tempus præscriptum ad faciendum Phase, Exod. 12, interpretatio facta est per legem latam Num. 12. Neque ante hanc posteriorem legem ausi sunt Moyses et Aaron talem interpretationem facere inconsulto Domino, quia nondum videbatur illis talis potestas commissa, nec ratio aut necessitas per se cogebat. Tertio ergo modo licebat hæc interpretatio per evidentiam facti et necessitatis, ut est per se manifestum in casu Machabæorum. Non oportebat autem semper necessitatem fuisse extremam, ut videtur fuisse in illo casu; sed sufficebat esse moralem et accommodatam præcepto, ut in casu David late disputat Abulens. supra.

8. *Lex vetus a Deo ipso mutabilis.* — *Nota: Deum velle legem aliquam ferre, variis modis intelligi.* — Dico secundo: lex vetus mutabilis fuit a Deo ipso. Hæc assertio satis nota est. Probari enim potest ex generalibus principiis, quod quilibet legislator potest legem suam mutare, cum ab ejus voluntate pendeat. Item ex illa Christi sententia, quia Dominus est filius hominis etiam sabbati; sic enim Deus est Dominus supremus totius legis, et omnium actionum quæ per eam præcipiuntur aut vetantur: ergo potest prout voluerit illam mutare. Denique abrogare illam potuit, ut de facto abrogasse statim dicemus: ergo, a fortiori, in illa dispensare, et quamlibet aliam mutationem facere potuit: nam omnis illa minor est quam abrogatio. Ut autem modum possibilem abrogationis explicemus, advertere oportet variis modis intelligi posse, velle Deum legem aliquam ferre. Primo, absoluto decreto voluntatis suæ, statuendo ut talis lex perpetuo duret absolute, et simpliciter, ac sine limitatione ulla, sicut statuit, ut præmium ultimum bonorum operum et pœna malorum æterna sint; et talis lex semel sic lata mutari seu abrogari non potest, etiam ab ipso Deo, in sensu (ut aiunt) composito, quia implicat contradictionem Deum ita decrevisse, et decretum non impleri aut impediri, alioqui voluntas absoluta Dei aut mutabilis esset aut inefficax.

9. Secundo, potuit Deus legem ferre pro tali tempore, usque ad certum terminum seu eventum. Vel, tertio, potuit velle obligationem talis legis durare sub tacita conditione, nisi ipse aliud statueret, vel usque ad beneplacitum suum. Et utroque modo potest lex divina esse mutabilis, scilicet, quia, elapso tempore pro quo lata est, seu adveniente termino ejus, cessat sine alia revocatione, ut contingit in legibus humanis vel privilegiis. Et ratio est clara, quia hæc mutatio legis non est per physicam et realem successionem in ipsa lege, sed in tempore, pro quo obligat, unde est per modum desitionis relationis ad desitionem termini. Nam lex est signum voluntatis obligantis pro tali tempore; unde, mutato tempore, jam non significat illam voluntatem, et hoc modo abrogatur et desinit obligare. Vel etiam potest lex auferri, quia per contrariam legem seu voluntatem Dei revocatur. Inter quos duos modos hoc differt, quod in priori lex ipsa per se desinit, etiamsi, nostro modo intelligendi, non sit in voluntate divina actus quo velit legem tollere; sed ex vi prioris actus lex cessat adveniente termino, quia divina voluntas ultra illum obligare vel operari nolit, et sine actu divinæ voluntatis non est lex. In posteriori autem modo intelligitur lex revocari per actum voluntatis divinæ ratione distinctum, quo Deus vult vel legem tollere, vel aliam repugnantem introducere.

10. *Respondetur ad rationem dubitandi.* — Unde tandem facillime satisfit rationi dubitandi in principio positæ, quæ ex quadam æquivocatione procedit; lex enim vetus non est lex ad intra (ut sic dicam) in Deo ipso existens, sed est lex ad extra in lapidibus aut membranis scripta. Unde non est voluntas Dei, sed signum quoddam externum voluntatis Dei, et effectus ejus; et ideo licet voluntas Dei sit immutabilis, lex dici potest esse mutabilis, quia per temporum successionem effectus divinæ voluntatis mutari possunt, non mutata divina voluntate, sicut potest Deus Angelum in nihilum redigere, quæ est magna quædam mutatio, late de mutatione loquendo, prout nunc loquimur, licet divina voluntas non mutetur. Et ratio est, quia decretum Dei quo res fit aut conservatur, vel lex fertur, potuit ex æternitate ita constitui pro tali tempore, et non ultra, vel negative se habendo nostro modo intelligendi, vel positive volendo etiam ex æternitate, ut pro alio tempore res aliter se haberet, vel alia lex

constitueretur. Unde solum erit res seu lex immutabilis ex vi divinæ voluntatis, juxta primum modum supra positum, quando Dei voluntas positive vellet, et absolute, rem aut legem pro tota æternitate durare, quasi positivum habens decretum nunquam illam destruendi vel abrogandi. Solum ergo probat ratio facta, legem divinam in sensu composito non posse abrogari pro illo eodem tempore pro quo Deus voluit illam constituere: nam hoc involvit contradictionem et mutationem in ipsamet divina voluntate. Quod si pro illo tempore dispensari potest ab ipso Deo, ideo est quia decretum constituendi legem pro aliquo tempore non includit decretum non dispensandi in illa: nam si fingeremus cum hac veluti reflexione esse positam, consequenter esset talis lex pro eo tempore, et in sensu composito, indispensabilis, et cum proportione potest fingi omnino immutabilis. Seclusa autem tali suppositione et quasi reflexione, ac simpliciter loquendo, lex etiam divina mutabilis esse potest ac revocari.

## CAPUT X.

AN LEX VETUS QUOAD SUAM OBLIGATIONEM JAM CESSAVERIT, SEU MORTUA FUERIT.

1. *Legem illam fuisse perpetuam somniant Judæi.* — Judæorum sententia et existimatio antiqua fuit legem illam fuisse perpetuam, ita ut nunquam esset abroganda, quamdiu mundus hic et status hominum viatorum duraret: in qua sententia perseverarunt multi ex Phariseis, etiam postquam ad fidem conversi erant, ut Actor. cap. 15 refertur; et postea in eodem errore perseverarunt multi hæretici antiqui, ut Ebion, Cerinthus, et Nazaræi, ut referunt Irenæus libro 4, cap. 26; Epiphanius, in hæresi 18, 28, 30, 66, et in aliis; Augustinus, de Hæres., in 8 et 9; Hieronymus, epist. 89 ad Augustinum; Damasc., verb. *Nazaræi*; Eusebius, lib. 3 Histor., cap. 21. Fundabantur præcipue quia lex illa data est a Deo ut in æternum duraret: ergo neque ab ipso revocari potuit, quia non potest esse sibi contrarius: neque ab alio, quia nullus potest prævalere contra ejus voluntatem. Probatur antecedens Gen. 17: *Erit pactum hoc meum in carne vestra, in fœdus æternum.* Si autem circumcisio est æterna, etiam tota lex. Item Exodi 12: *Habebitis hanc diem, etc., solemnem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno; et infra: Custodietis diem*

istam in generationibus vestris ritu perpetuo; et Ps. 104: *Statuit illud Jacob in perpetuum, et Israel in testamentum æternum.*

2. *Lex vetus post Christi adventum vim obligandi amisit et abrogata fuit.* — Nihilominus simpliciter dicendum est legem veterem per Moysem datam abrogatam esse post Christi adventum, vimque obligandi amisisse. Ita definitum est ab Apostolis, Actor. 15 cap., per illa verba: *Visum est Spiritui sancto, et nobis, etc.* Et in illius confirmationem et defensionem multa Paulus scripsit variis in locis. Primum, in Epistol. ad Roman., cap. 6, ibi: *Non estis sub lege, sed sub gratia;* et cap. 7, id declarat exemplo uxoris quæ per mortem viri soluta est a lege illius, unde concludit: *Itaque, fratres mei, et vos mortificati estis legi per corpus Christi;* et infra: *Nunc autem soluti sumus a lege mortis, etc.;* et iterum cap. 8: *Lex enim Spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me a lege mortis.* Idem ex professo confirmat in Epist. ad Galatas, quam ad hanc veritatem persuadendam præcipue scripsit. Item ad Hebræos, 7 capite, quem locum infra latius expendemus: et in eodem sensu dixit idem Paulus ad Ephesios, 2 capite: *Legem mandatorum decretis evacuans.* Nam lex mandatorum vocatur lex vetus, ut supra dictum est, et communiter Patres intelligunt; et illam dicitur Christus evacuasse, id est, abstulisse *decretis*, utique evangelicis, ut infra declarabimus: et hæc quidem testimonia contra hæreticos, qui novum Testamentum admittunt, satis efficacia sunt et sufficiunt. Tamen contra Judæos necessarium est ex aliis etiam principiis argumentari, quod paulo inferius commodius præstabimus.

3. *Duo explicanda.* — Ut ergo hæc veritas exacte declaretur, et difficultas in principio posita clarius expediatur, duo a nobis explicanda sunt. Primum, respectu quarum personarum amiserit lex illa vim obligandi. Secundum, respectu quorum præceptorum. Circa primum, distinguendum est inter Gentiles et Judæos, et utriusque spectari possunt, vel secundum se et in sua secta seu infidelitate permanentes, vel jam conversi ad Christum; unde quatuor quæstiones oriuntur. Prima, an Gentiles non credentes in Christum obligentur lege Moysi. Secunda, an Christiani, ex gentilitate conversi ad Christum, teneantur, vel aliquando fuerint obligati ad servandam legem Moysi. Tertia, an Christiani ex Judæis conversi eandem Moysi legem servare te-

neantur. Quarta similis est de Judæis nolentibus in Christum credere, sed in sua pertinacia permanentibus, an Moysi legem servare teneantur. Ex quibus tertia et quarta ad nos proprie spectant: aliæ vero parum quidem ad nos referunt, et difficultatem non habent; tamen earum resolutio cum cæteris conjuncta est, et ideo breviter illas expediemus.

4. *Legem veterem non obligare Gentiles in Christum non credentes.* — Prima igitur resolutio viam parat ad secundam, et illi lucem affert, et ideo breviter dico legem veterem non obligare Gentiles in Christum non credentes. Assertio est certa, neque scio fuisse in hoc unquam sententiarum aut hæresum diversitatem. Probaturque facile, quia ante Christi adventum lex illa non obligavit Gentiles, neque alios homines præter Israeliticum populum, nisi voluntarie illam susceperent et profiterentur, circumcissione accepta: ergo neque post Christi adventum tenentur, neque unquam obligati fuerunt. Antecedens manifestum est ex capite 7, in quo ostendimus legem illam solum pro Israelitico populo datam fuisse, quia ad illum tantum locuta est, unde illum tantum obligavit. Unde Paul., ad Rom. 3, in hoc ponit utilitatem circumcissionis, quod Judæis specialiter credita sunt eloquia Dei, sub quibus eloquiis maxime legem comprehendit, quæ solum circumcisis data est, et ideo Gentiles a participatione Templi et sacrificiorum illius legis arcebantur, nisi prius circumciderentur; non obligabantur autem circumcisi, sed in voluntate eorum ponebatur, ut constat Exod. 12 capite; ergo lex illa simpliciter non obligabat Gentiles; ergo neque post Christi adventum obligat, quia per Christum non est data illi legi nova vis obligandi, ut per se notum est, sed solum per illum completa est.

5. *Secundæ quæstionis resolutio.* — *Gentiles conversi non tenentur ad circumcissionem, nec legem veterem.* — Hinc etiam manifesta est secundæ quæstionis resolutio, quæ potissimum agitata videtur ab Apostolis, Actor. 15; nam de gentibus conversis ad fidem Christi controversia orta fuit, propter Phariseos asserentes debere eos circumcidi et servare legem Moysi. Veritas autem ab Apostolis tradita fuit, eos non teneri ad circumcissionem vel legem; quæ non solum est de fide ex prædicta definitione, et aliis supra adductis, sed etiam evidenter sequitur ex principiis positis. Quia lex data Abraham de circumcissione neminem obligavit absolute et simpliciter, nisi

Abraham et posteros ejus, ut late explicuimus cum D. Thoma, 3 part., quæst. 70, art. 2; et ideo non obligabat absolute advenas ac peregrinos, sicut etiam ex citato loco Exod. 12 evidenter comprobatur: ergo neque lex illa ante Christi adventum obligabat Gentiles, sive fideles, sive idololatrias, neque post adventum Christi obligat gentes idololatrias, seu infideles; ergo neque obligat Christianos ex gentibus ducentes originem. Probatur consequentia, quia nec lex Moysi lata est pro illis, nec lex Christi eos obligat ad alterius legis susceptionem; nunquam enim Christus hoc præcepit aut docuit, nec prædicatores ejus talem Christi institutionem docuerunt: imo repugnaret hoc verbis Christi invitantis ad ferendum jugum suave; esset enim onerosissimum, si præciperet cum sua lege conjungere et suscipere legem Moysi, quæ jugum fuit importabile, ut Petrus dixit; item Christus, Matth. ult., solum dicit: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.* Ubi nihil de circumcissione præcepit, sed loco illius baptismo contentus fuit, et consequenter nihil etiam de reliqua lege veteri mandavit, sed tantum de sua, quam solum Apostoli ejus tradiderunt. Unde subdit: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit,* ubi circumcissionem non requirit, nec aliquam legis veteris observantiam, sed suæ, quam sub Baptismo concludit.

6. *Probatur tradita conclusio.* — *Objectio.* — Denique potest sic concludi ratio; nam si Gentiles facti Christiani tenentur illa lege, vel est ex vi Testamenti veteris, et hoc non, quia cum illis non loquitur per suam legem, vel ex vi Testamenti novi, et hoc multo minus; tum quia Christus (ut dicebam) non extendit legem veterem, sed implevit; tum quia Testamentum novum et ministri ejus oppositum docent et tradiderunt; ergo. Dicere vero possent Hebræi judaizantes Messiam et fructum ejus non fuisse promissum, nisi populo Israel; et ideo, licet Gentiles per se non obligarentur lege veteri, nihilominus ut possint Christo conjungi et spiritualia ejus bona participare, debere per circumcissionem illi populo conjungi, et consequenter legem profiteri ac servare. Sed hæc fictio erronea est, supponitque aliam hæresim, nimirum, Evangelium solis Judæis fuisse communicandum, quam ex professo impugnavit Paulus in Epistola ad Rom., et in lib. seq. aliquid dicemus. Nunc eodem argumento

facto refutatur sufficienter; tum quia nullibi in Scriptura gentibus imponitur talis necessitas; tum etiam quia in Scriptura non promittitur Christus solis Judæis, sed æque gentibus, et universo mundo quoad participationem fructuum ejus, licet promitteretur venturus de populo Israel, et in illo specialiter docturus et prædicaturus; sicut etiam promittebatur venturus de speciali tribu et familia, et tamen non illi soli, sed toti populo æque promittebatur: et ideo, Genes. 49, vocatur *Expectatio gentium*, et Aggæi cap. 2: *Veniet desideratus cunctis gentibus.*

7. *Refellitur error Hebræorum, et veritas confirmatur.* — Præterea confutatur maxime hic error, et proposita veritas confirmatur ex eo quod lex illa non solum ad salutem spiritualem necessaria non erat, verum etiam esset inefficax et per se inutilis. Quod argumentum maxime urget Paulus in Epist. ad Gal. et ad Rom., et potest in hunc modum proponi, quia cæremoniæ legis antiquæ non fuerunt necessariae ad salutem gentium necessitate solius præcepti seu legis, nec etiam fuerunt de se necessariae necessitate medii; ergo neutro modo sunt nunc necessariae gentibus Evangelium amplectentibus: ergo neque lex vetus illas præcipiens obligat hujusmodi Christianos. Consequentia notæ sunt. Prior vero pars antecedentis sufficienter manet probata superiori argumento, quia lex illa in vi præcepti non fuit data gentibus, sed soli populo Israel. Alteram vero partem multis modis probat Paulus in locis citatis. Primo, quia Abraham ante illam legem latam, atque adeo sine cæremoniis ejus vel circumcissione, justificatus est. Quo exemplo indicare voluit Paulus omnes antiquos Patres et justos qui ante Abraham, vel cum ipso, vel post ipsum, extra posteritatem ejus, justi fuerunt ante Christi adventum; ergo evidens est cæremonias legis non fuisse per se necessarias ad salutem: ergo nec post Christi adventum necessariae erunt, maxime pro Christianis ex gentibus ortis. Quod argumentum recte prosequitur Cyprianus, lib. 4 ad Quir., c. 8; latius Tert., lib. cont. Judæos. Et c. 3, expendit Melchisedec incircumcisum obtulisse panem et vinum Abrahamo jam circumciso. Sed hoc posterius repugnat Scripturæ: nam oblatio illa præcessit per aliquot annos circumcissionem Abrahamæ, ut constat ex Genes. 14 et 17; id tamen non diminuit vim argumenti, sed quodammodo auget; nam uterque erat justus et verus Dei cultor, imo et Sacerdos, licet uterque esset incircumcisus.